NICOLAI STENONIS AD NOUÆ PHILOSOPHIÆ...

Niels Steensen



IN Libro, cuius te auctorem, & alij retulerunt, & ipse varijs de causis suspicor, obseruo, te omnia referre ad securitatem publicam, seu potius, qui publicæ securitatis iuxta te est scopus, tui securitatem, licet media securitati desideratæ contraria amplexus fueris, & illam tui partem omnino neglexeris, cuius securitati vnicè studendum esset. Te autem media desideratæ securitati contraria elegisse, inde patet, quod dum quietem publicam quæris, omnia turbes, & summo te periculo absque omni necessitate exponas, dum omnibus periculis te eximere studes. Quod verò illam tui partem omnino neglexeris, cui vnicè studendum esset inde constat, quod permittas omnibus quidlibet de Deo sentire, & loqui, modò tale non fuerit, quod tollat obedientiam non tam Deo quam hominibus secundum te habendam: id quod idem est ac omne hominis bonum intra bona ciuilis regiminis, id est intra corporis bona, restringere: nec quicquam in tui fauorem facit, si te animæ curam philosophiæ reseruare dixeris, tum quod philosophia tua cum anima agat per systema ex suppositis formatum, tum quod philosophiæ toe ineptos in tali vitæ statu relinquas, ac si automata essent animâ destituta, nec nisi soli corpori nata.

In hisce tenebris versari cum videam virum mihi quondam admodû familiarem, nec nunc vt spero inimicum (persuadeo enim mihi consuetudinis antiquę memoriam mutuum amorem etiamnum conseruare) cumque meminerim & me olim, si non penitus ijsdem, tamen grauissimis in erroribus hæsisse, quantò magis euidentem Dei in me misericordiam reddit magnitudo periculi è quo liberatus sum, tanto maiore tuę commiserationę motus eandem tibi cœlitus gratiam voueo, quam ipse

 nullo

pullo meo merito sed sola Christi benignitate sum consecutus, & vt precibus opera iungam, me tibi offero promptissimum ad examinanda tecum omnia illa argumenta, quæ circa veram securitatis veræ viam inueniendam, & tenendam examinare placuerit. Et licet à veritate remotissimum te ostendant tua scripta, pacis tamen & veritatis amor olim mihi in te perspectus, & in illis tenebris necdum extinctus spem mihi facit, te Ecclesiæ nostræ aures faciles præbiturum, modo sufficienter tibi expositum fuerit, quid illa omnibus promittat, quid accedere volentibus præstet.

Quod primum spectat, veram omnibus securitatem, æternam securitatem Ecclesia promittit, seu infallibili veritati sociam stabilē pacem, simulque offert media ad tantum bonum assequendum necessaria; primū, malè actorum certam veniam, secundū, rectè agendorum perfectissimam normam; tertium veram omnium occupationum secundum hanc normam perfectionem practicam: nec hoc solis doctis, aut ingenio subtili præditis atque à negotiorum varietate vacuis offert, sed promiscuè omnibus omnis ætatis, sexus & conditionis hominibus: id quod ne tibi admirationē moueat, scias ab accedente quidem requiri præter non resistentiam etiam cooperationem, hæc tamē ipsa fieri illo intus operante, qui per visibilia Ecclesiæ membra externum verbum pronuntiat. Et licet accedens dicat, dolendum illi esse de peccatis in oculis Dei, & digna huius doloris opera oculis hominum esse exhibenda, taliaque de Deo anima & corpore credenda &c. non tamen hic eius sensus est, ac si, qui accedit, suis hæc viribus aggredi deberet: nihil enim aliud requiritur, quam ne talibus agendis, & credendis assensum, & cooperationem deneget, quod solum in ipsius potestate est, cum te volle, illa, & vbi volueris, operari à Christi spiritu dependant præueniente, concomitante, & perficiente nostram cooperationem. Id quod si needum intellexeris, non miror, nec modo id agam; imo nec mearum virium est, id agere, vt ea intelligas: nec tamen à ratione penitus aliena tibi videantur, regiminis Christiani formam breuibus delineabo, quæ omnia nec poterit à nouo isthac ciuitatis incola, aut prorsus aduena qui ciuium [illegible] subsellijs [illegible]. Scopus huius regiminis est, vt homo omnes suas non operationes modo externas, sed & secretissimas cogitationes dirigat secundum ordinem ab vniuersi auctore constitutum, seu quod idem est, vt animo in omni opere Deum sui authorem, & iudicem intueatur. Huius respectu cuiuslibet hominis peccatis infecti vitæ tria quatuor gradus diuiditur. Primus gradus est, in quo homo omnia operatur, ac si cogitationes eius nulli iudici subiectæ essent, & hic status est hominum, vel nondum baptismo lustratorum, vel post baptismum in peccato induratorum, qui gradus mors ... dicitur, quod anima

videm

videntem se Deum non respiciat, vt cum dicitur Sap. 2. *Excæcauit eos malitia eorum*: modo mors quod veluti sepulta lateat intra suauitates perituras, quo sensu Christus dixit, *Sinite mortuos suos sepelire mortuos*, & alia plura id generis. Nec repugnat huic statui multa, & sæpe vera, de Deo, & anima disserere, sed quia de illis agit, tanquam de obiectis remotis vel externis, hinc perpetua de iisdem dubia, contradictiones multæ, & frequentia vitia si non operum exteriorum, saltem cogitationum, idque quod spiritu actiones viuificante destituta anima, mortuæ instar, omni desideriorum vento mouetur: Secundus gradus est quando homo, vel externo, vel interno Dei verbo non resistens vocantem respicere incipit, vbi ad huius supernaturalis luminis radium multa in opinionibus suis falsa in actionibus vitiosa agnoscens, se totum Deo committit, qui per operarios suos Sacramenta ipsi ministrans sub signis visibilibus inuisibilem gratiam largitur, hic renatorum gradus infantia, & pueritia dicitur, & verbum Dei, quod his prædicatur, lacti comparatur. Tertius gradus est quando per continua virtutum exercitia concupiscentias domando animus præparatur ad mysteria in sacris literis recondita rite intelligenda, quæ non capiuntur ab anima, nisi quando corde iam mundo quartum gradum attigerit, vbi Deum videre incipit, & sapientiam perfectorum assequitur. Et hic perpetua vnio est voluntatis, interdum, & mystica, quorum exempla etiam hodie inter nos extant.

Atque ita totum Christianismi institutum eò tendit, vt anima à statu mortis ad vitæ statum transferatur, id est, vt quæ prius oculos mentis à Deo auersos errori infixos habebat, modo ab omni errore auersos semper in Deum dirigat in omnibus, & corporis, & mentis operationibus, idem volens, idem nolens, quod author eius, & omnis ordinis voluerit, nolueritué. Si itaque ritè omnia excusseris in solo Christianismo veram philosophiam inuenies de Deo digna Deo, de homine homini conuenientia docentem, & ad veram omnium actionum perfectionem sui cultores ducentem.

Quod alterum attinet sola illa, quicquid promittit, non repugnantibus præstat, sola enim Catholica Ecclesia singulis sæculis perfecta virtutum exempla edidit, & etiamnum hodie parat posteritati veneranda in personis omnis ætatis, sexus, & conditionis; nec dubitare licet de fide, quæ securitatem æternam promittit, si huic fini subordinata media ad miraculum vsque omnia summa cum fidelitate præstat. Nondum quartum in Ecclesia annum absolui, & tamen illa iam tum sanctitatis exempla vidi vt vere cum Dauide exclamare cogar: *testimonia tua credibilia facta sunt nimis*. Taceo Episcopos, taceo Sacerdotes, quorum in familiari conuersatione à me audita verba diuini spiritus humana

mana signa fuisse vel proprio sanguine obsignarem, ea sunt vitæ innocentia, loquendi virtute: nec strictissimam viuendi regulam amplexos plures nominabo, de quibus idem affirmarem: duū generum exempla tantummodo adducam, vnum personarum à vita pessima ad sanctissimam conuersarum, alterum idiotarum vestro loquendi modo ita dictorum, qui tamen sublimes de Deo notitias absque vllo studio ad pedes crucifixi adepti sunt. Ex hoc genere noui artibus mechanicis occupatos, seruilibus ministerijs adstrictos tum viros tum fœminas per virtutum diuinarum exercitium ad miranda Dei, & animæ intelligenda subuectos, quorum vita sancta, verba Diuina, & opera non raro miraculosa, vt futurorum prædictio, & alia, quæ taceo breuitatis causa. Scio quid miraculis a te obijci poterit: nec nos solis miraculis fidem habemus, sed vbi miraculi effectum animæ alicuius à vitijs ad virtutes perfectam conuersionem videmus, omnium virtutum authori iure illud adscribimus: Miraculorum enim omnium vel maximum illud duco, quod qui triginta, quadraginta annos, & amplius in omni desideriorum suorum licentia transegerunt, quasi momento temporis omnem malitiam auersati sanctissima virtutum exempla euadant, qualia ego hisce oculis vidi, hisce manibus amplexatus sum præ lætitia mihi alijsque lachrymas sæpius mouentia. Non est Deus sicut Deus noster. Sanè si historiam temporum, si præsentem Ecclesiæ statum consulis non in aduersariorum nostrorum libris, non apud illos, qui vel mortui inter nos, vel saltem infantiam nondum exuerunt, sed, quod in omni alia doctrina addiscenda fieri solet, apud illos, qui nostrorum confessione pro veris Catholicis habentur, videbis illam promissis semper stetisse, atque etiam num indies stare, eamque ibi credibilitatis euidentiam offendes, quæ tibi satisfaciet, præcipuè cum de Romano Pontifice longè mitiora sentias reliquis nostris aduersarijs, & operum bonorum necessitatem admittas: sed nostra quæso in nostris examines scripta, quod & tua de præiudiciorum viribus dogmata tibi facilè persuadebunt.

Attulissem lubens Scripturæ loca authoritatem Pontifici tribuentia, quam ipse illi non alia de causa denegas, nisi quod in Scripturis eam non reperias, nec Christianam Rempublicam Iudæorum Republicæ similem admittas, sed quia de interprete Scripturæ diuersa credis à nostra doctrina solam interpretationem Ecclesiæ admittente, illud argumentum hac vice transeo, & ad secundum dico, regimen Christianum, quod vnitatem Fidei Sacramentorum, & charitatis vnicè quærit, vnicum tantum caput admittere, cuius authoritas non consistit in rebus quibuslibet pro arbitrio innouandis, quæ aduersariorum calumnia est, sed in eo, vt res iuris diuini seù necessariæ semper immutatæ maneant, res autem iuris humani seu indifferentes mutentur, prout initis de casis

fis expedire iudicauerit Ecclesia v. g. si viderit malitiosos indifferentibus abuti ad necessariorum euersionem. Hinc in SS. interpretanda, in dogmatis Fidei determinandis id agit, vt à Deo per Apostolos tradita dogmata, & interpretationes conseruentur, noua & humana proscribantur. Non loquar de alijs ipsius authoritati subiectis, cùm sufficiat ad regimen monarchicum tibi probabile reddendum vnitas, & credendorum, & agendorum toties à Christo præcepta.

Si itaque vero virtutis amore duceris, si actionum perfectione delectaris, omnes in mundo societates perquirito, nec alibi inuenies perfectionis studium eo feruore suscipi, ea felicitate absolui, prout apud nos fit, quod solum argumentum tibi demonstrationis loco esse possit, quod verè *digitus Dei hic sit*.

Sed quò facilius id agnoscas, in te prius descende, & animam tuam excute, si enim litè omnia perscrutatis mortuam illam inuenies: inter in tetiam motam ita versaris ac si mouens causa abesset, vel nihil esset: corporum enim religio est, non animarum, quam introducis, & in amore proximi actionibus indiuiduo conseruando, & speciei propagandæ necessarijs prospicis, illarum verò actionum, quibus authoris notitiam, & amorem acquirimus, exiguam, & penè nullam curam habes. Sed & omnes tecum mortuos credis, qui tamen gratiæ omnibus denegas, quia ipse illud non expertus es, nec certitudinem dari putas nisi demonstratiuam, nescius certitudinis fidei omnes demonstrationes superantis. Ipsa autẽ tua certitudo demonstratiua quã arctis limitibus includitur? Excute quæso omnes demonstrationes tuas; & vel vnam mihi afferto de modo quo cogitans, & extensum vniuntur, quo principium mouens corpori vnitur, quod mouetur. Sed quid ago de hisce demonstrationes à te peto, qui ne quidem eorum modos probabiles mihi explicare poteris, quo fit vt absque suppositis explicare nequeas voluptatis dolorisuè sensum, & amoris aut odij motum adeoque omnis Cartesij Philosophia vt vt quam diligentissimè à te excussa, & reformata, non possit mihi vel hoc vnicum phænomenon demonstratiuè explicare, quomodo nempe materiæ in materiam impulsus ab anima materiæ vnita percipiatur, Sed & ipsius materiæ quam quæso aliam notitiam nobis datis præter quantitatis mathematicum examen circa figuras nec dum de vllo particularum genere nisi hypotheticè probatas? Quid autem magis à ratione alienum est, quam cùm diuina opera sensibus patent, eiusdem diuina verba negare, quod repugnent hominum demonstrationibus per hypothesin factis? & cum nec illam quidem corporis conditionem intelligatis, qua mediante mens percipit obiecta corporea, de illa tamen eius conditione sententiam ferre, quæ per mutationẽ corruptibilis in incorruptibile glorificata animæ iterum socianda

da est. Sanè mihi persuasissimum est idem esse noua Dei, animæ, & corporis naturam explicantia principia inuenire ac principia fictitia inuenire, cùm diuinæ prouidentiæ id repugnare vel ratio doceat, vt vera de illis principia sanctissimos homines per tot millia annorum latuerint hoc seculo primum aperienda per homines ne quidem mortalium virtutum perfectionem assequutos; quin illa ego sola de Deo, anima, & corpore principia vera crediderim, quæ ab exordio rerum creatarum in hunc vsque diem in vna eademque semper societate, in ciuitate Dei conseruantur. De quorum primis doctoribus senex ille, qui S. Iustino à Philosophia mundana ad Christianam Philosophiam transeundi author fuit, ait: quod fuerint *Philosophis antiquores, beati, Iusti, Deo chari, qui Diuino Spiritu afflati locuti sunt, resque eas fore vaticinati sunt, quæ nunc eueniunt*, Principia à talibus Philosophis proposita per similes eorundem successores non interrupta successione ad nos transmissa, & per eiusdem generis philosophos etiamnum hodie recta ratione illa quærenti obuia sola vera principia crediderim, vbi doctrinę veritatem vitæ sanctimonia demonstrat. Huius tu Philosophiæ, & principia, & dogmata scrutare non apud inimicos eius, non apud illos eius asseclas, quos vel malitia mortuus, vel ignorantia pueris iungit, sed apud magistros eius perfectos in omni sapientia, & Deo charos atque vitæ æternæ iam tum probabiliter participes, & agnosces Christianum perfectum, perfectum philosophum esse, etiamsi non nisi vetula fuerit, vel vilibus ministerijs intenta ancilla, vel lauandis pannis victum quæritans mundi iudicio idiota; simulque cum S. Iustino exclamabis, *hanc vnam reperio Philosophiam, & tutam, & vtilem*.

Si tibi libuerit, lubens illum in me laborem suscipiam vt eorum tibi partim contradictionem, partim incertitudinem ostendam in quibus tua dogmata recedunt à nostris, licet optarem te aguito vno vel altero in tuis errore ad euidentiam credibilitatis, quæ in nostris extat, dictis doctoribus te discipulum redderes, & inter primos pœnitentiæ tuæ fructus Deo offerres errorum suorum ab ipso te ad Diuini luminis attractionem agnitorum confutationem, vt si prima tua Scripta mille animos à vera Dei notitia auerterunt, eorundem palinodia proprio exemplo confirmata millena millia ad illum tecum, vt cum altero D. Augustino, reducant: quam tibi gratiam toto corde apprecor. Vale.

D.

V. Cl. & Adm. Rev. Nicolao Stenoni
August. Golkellius Advoc. S. Off. Consult. & librorum Censor.

χάρις καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ.

Habeo tertiam Epistolam tuam V. Cl. in qua veritatis perfectionem absolutissimam Magni Basilii προσευχῇ σαυτοῦ absenti amico inculcas atq; ad Deum patrem luminum, omnia referenda ostendis: quod est (vt cum Vlpiano nostro loquar) veram non simulatam philosophiam affectare. Quid n. proderit homini si vniversum mundum lucretur animę suę vero detrimentum patiatur? Vtinam ille sibi sapiat in cuius gratiam scripsisti, & ad Ecclesię catholicę Romanę redeat vnitatem. Vale A. M. D. G.

Te Sapientiæ amor veræ fecit Philosophiæ propugnatorem, V. C. vt colligo ex hac tua Apologetica Epistola, in qua dum sapienter arguis, [illegible], nec non opportunę obsecras sanam doctrinā non sustinentes, vt verbis vtar Apostoli, ministerium imples Euangelistæ. Quod a Cælo mutuatus es lumen, cæteris alter veluti Prometheus, charitatis face niteris impartire. Perfectæ amicitiæ legibus inhærens, in adinuenti boni consortium iam cum exoptas, & aduocas, et sine inuidia comunicans, quod sine fictione didicisti. Si nouerit ille hoc thesauro protinus infinito vti, opera despiciet omnia, in quibus frustra desudauit hucusque, vt inde particeps efficiatur amicitiæ Dei, propter disciplinæ dona commēdatus. &c. Ego D. Iac. Ant. Morig. Cl. Reg. Barn. & S. Cel. Th.

Spurię quia nouę, vera, quia veteris Philosophię, illius impugnator, propugnator cuius Nicolaus Stenonius, dum hac sua parænetica Epistola pacificum amico hosti certamen vel indicit, conferto irrefragabilium rationum agmine conficit. Vno tamen flagrans desiderio verus hic veræ sapientię amator ita larvata huic sapientię mortem inferre, vt Diuina, atque ex antiquis ordinata sapientię mortuo Nouatoris spiritui vitam restituat. Ita sentio, ita meo Stenonio, atque eiusdem, cui ipse nunc verius, quam olim, Amicus ex animo adprecor.

Ego D. Ioseph Maria Ambros. Cl. Reg. Visitat.

At.

Attentis. &c. Imprimat.
Fr. Franc. Antonius Inquisitor Generalis Florentiæ.

Imprimat. Alex. Puccius Vic. Gen. Flor.

Mattheus de Mercatis Adu. pro Ser. Mag. Duc. Etrur.

